DISSERTATIO HISTORICA

PRODROMVM HISTORIÆ GRÆFENTHALENSIS

SISTENS

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGARIÆ ATQVE WESTPHALIÆ, ET RELIQVA

PRÆSIDE

BVRCARDO GOTTHELFFIO STRVVIO

CONSILIARIO ET HISTORICO SAXONICO, PROFESSORE IVRIS ATQVE HISTORIARVM PVBLICO

DEFENDET

IO. HENRICVS WACHTEL

COMIVALLENSIS.

A. ET R.

DIE XIX. IANVAR. cIↄ Iↄ ccXV.

IENÆ

LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

SERENISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO

DOMINO

IOANNI ERNESTO

DVCI SAXONIÆ,

IVLIACI, CLIVIÆ AC MONTIVM, ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, LANDGRAVIO THVRINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, PRINCIPALI DIGNITATE COMITI HENNEBERGICO, COMITI MARCÆ ET RAVENSBERGÆ, DYNASTÆ RAVENSTEINII

PRINCIPI AC DOMINO

MEO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS

DOMINE CLEMENTISSIME,

INgrato homine terram nihil peiu
creare alereque, nihil quoque vn
quam tam ingratum fuisse & De-
& hominibus, quam esse ingra
tum ; non Ethnici solum plerique
verum etiam omnes Christicolæ adhuc adser
tun

tum iuere. Quum SERENISSIME PRINCEPS ipse tenus hæc mente mea repeterem, quam inhumanus essem, si TVA Clementia, eximiisque beneficiis cumulatus, hanc Salanam ingratus relinquerem; statim pudore suffuso calcaria addebat cum Tantæ gratiæ memoria, tum etiam animi submissio debita, vt gratias agerem deuotissimas. Quo vero monimento id SERENISSIMO NOMINI TVO declararem, addubitanti subinde succurrere haud commode licebat. Qua de re hasce pagellas tandem GRATIA TVA in me haud vulgari adductus, de Originibus patriæ Græfenthaliæ exarandas, TIBIque consecrandas curabam; idque vnice hunc in finem, vti grati animi tesseram qualemcunque ad SERENITATIS TVÆ pedes humillime deponerem. Enim vero GRATIA TVA in me mirifica est, qua fautrice per tres annos & quod excedit, in hoc Musarum sacrario bonis literis vacare licuit, insigni Tua munificentia vsus, stipendioque adiutus, quod continuatum Tuæ debeo Clementiæ. Quamvis autem, quicquid etiam fecero, non sufficere mihi videar, maxime dum præter voluntatem

nihil

nihil mihi ſuppetat ; hocce tamen ſpecim
quamuis exiguo, deuoti animi teſſeram ſign
care volui, ſpe certa fretus, fore, vt hoc, quan
lumcunque etiam ſit, fronte vti aiunt, ſerena,
ſpicias clementiſſime. Inter vero ea De
O. M. Supplex veneror, vt TE, SERENISSI
PRINCEPS , Neſtoreos in annos, Regin
feliciſſimum, Domum florentiſſimam, & qu
quid Principis Deo dilectiſſimi vota optare p
ſunt, in ſolatium ſubditorum fideliſſimoru
qui hæc mecum animitus precantur, videre c
cedat. Faxit hoc Supremum Numen, annu
que votis ſingulorum ardentiſſimis.

SERENITATIS TVÆ

*Ienæ d. XIX. Ian.
1715.*

SVBIECTISSIMVS

IOANNES HENRICVS WACHT
S.S. Th. Cand.

§. I.

INcerta ſemper fuerunt, quæ de vrbium antiquitate atque originibus dicuntur, dubia, tantiſque difficultatibus ſubiecta, vt, quocunque nos vertamus, hiſtoriam reperiamus ſine parente. Neque tamen ideo omnis cura, omne ſtudium plane erit abiiciendum, ſed potius inquirendum indagandumque, quouſque licet, dum ex particulari iſta vrbium deſcriptione ſæpe oriantur, quæ omnem illuſtrent Germaniæ hiſtoriam. Vitio igitur nemo nobis vertet, quod patriæ ſtudio ducti, has, incertas licet, Græfenthalenſis vrbis antiquitates, quantum fieri poterit, deſcribamus, ita, vt primum de eiuſdem ſitu, nomine & origine, antiquis etiam dominis, hinc alia occaſione de mutato eiuſdem regimine & geſtis in eadem præcipuis dicamus.

§. II.

Thuringiæ vrbs eſt Græfenthal, ad fines ſyluæ Thuringicæ, inter Salfeldiam & Coburgum ad Zoptam ſita, & monti-

bus diuersis cincta, sedes olim Dynastiæ singularis. Bucelinus
equidem hanc ita describit : *Greffenthal oppidum Ducum Saxon*
Lawenburgensium prope terminum sylua Thuringicæ, cum arce mu
tissima, duobus a Salfeldia milliaribus. Verum, quam male S
xoniæ interioris Ducibus hanc vrbem tribuat, in propatulo e
Error ex eo mihi subortus esse videtur, quod Comites Or
mündani, qui hanc dynastiam olim possederunt, ab arce qu
dam vicina, Domini de Lauenstein dicerentur.
Martinus Zeilerus in Topographia Circuli Saxonici Superio
his verbis vtitur: *Graventhal, Grefenthal ein Städtlein, am W*
ſerlein Zepten, am Ende des Thüringer-Waldes, so sammt zugehö
ger und gegen der Fürstlichen Graffschafft Henneberg und der Gra
schafft Schwartzburg, gelegener Herrschafft, die Fürstlich-Sachsi
Altenburgische Linie, umbs Jahr 1622. von den Herren von Pappe
heim auch Engen, erkaufft hat, wie Melchior Nebel in Exegesi Thur
giæ p. 230. schreibet. Liegt 2. Meilen von Salfeld, und 4. von Ne
stadtlein, und gehœrte anno 1515. dem Heinrichen von Stein zu, wie
der geschriebenen Thüringischen Chronick stehet. Nunmehro aber
es Sachsen-Gothisch. Labitur tamen in eo Zeillerus, quod fin
nulla ratione ad Comitatum Hennebergicum vsque protε
dantur. Deinde falsum est, quod Pappenheimii etiam ab Eng
fuerint dicti, cum Maximilianus, qui hanc dynastiam vendid
titulum gerat, *Käys. May. und des Heil. Röm. Reichs Landg*
zu Stulingen, Herr zu Pappenheim, Hölven und Möttingen uff Rote
stein und Calda. Nec eandem anno 1515. Henricus a Stein,
Sebastianus a Pappenheim possedit. Io. Gottfried Gregori
vero hoc oppidum ita describit: *Grafenthal, lat. Grafenthalia o*
Vallis Comitum, ein Stadtgen mit einem alten Bergschlosse am Fl
Zepten, 2. Meilen von Saalfeld und 4. von Neustadt an der Hei
am Ende des Thüringer-Waldes gelegen. Hierdurch gehet die
naire Passage aus Francken in Thüringen, and aus Thüringen e
dahin. Dieses Ammt und Stadt wird die Herrschafft Grefenthal
nenn

*nennet, soll 1622.**** von dem Herrn von Pappenheim an das Hauß Altenburg verkaufft worden seyn.*

* *Topograph. Germ. notitia p. 93. pag. 96.*

** Sic Otto, Comes Orlamündanus, dum a Conrado Pappenheimio super pagis quibusdam, an ad Græfenthal, an vero ad Lauenstein spectarent, quæreretur, respondit speciali diplomate de anno 1460. Dominica Iudica: *das unser Eltern sich Herrn zu Lauenstein geschrieben haben.* Et paullo post: *Auch wir haben uns Herrn zu Lawenstein geschrieben, und ist unser Tythel einer gewest.*

*** *Im ietzt Florirenden Thüringen p. 117.*

**** Quod tamen a. 1621. factum, prout infra §. *XVI.* dicemus.

§. III.

Scilicet, montibus quasi cincta est hæc vrbs, ad Zoptam sita. Inter montes eminet der Kindelberg & der Winterberg. Ad radices montis, in quo arx condita, sita est vrbs, in antiquam & nouam diuisa. Vrbs non adeo magna, quinque tamen portas habet, Salfeldensem, Gebersdorfensem, Neustadtiensem, Lauensteinensem, Lichtenhaynensem. Et quidem inter tres portas posteriori loco adductas, comprehenditur vrbs noua, extra muros antiquæ, quibus tamen ipsa cincta non est. Inter ædificia publica referendum est Templum, cum ædificiis Pastorum, quorum bini sunt, Pastor & Diaconus; Schola, quæ habitationem præbet Rectori atque Cantori; Curia, cum adiecta domo Secretarii vrbis, *die Stadtschreiberey*, ædes Quæstoris, *die Ambtschreiberey*; ædes æditui ex Capella quadam antiqua, & Xenodochium ante portam Lichtenhaynensem.

§. IV.

Consideraturi nunc pagos atque iurisdictionem Græfenthalensem, Dynastiam, quæ olim fuit, latius patuisse, certum est, ac hodiernam præfecturam. Ad eandem olim spectauit

die Wüſtung zu Wickersdorf, bey der hohen Eichen, cum agro ſuo, ſyluis & iudicio criminali, *die Wüſtung zu S. Branden* olim *Göpfſersdorff*, cum banno criminali & ferino, pagus *Kaulsdorf*, cum iudicio criminali, *Volckmansdorf, Arnsgereut, Witzendorf*, cum mola & via publica: Præterea pagus *Elba, Loſſitz, zum Schlage, Gros & Klein Neundorf, die Wüſtung zum Birckigt über Loquitz, Zopten, Crinizt, Reichmannsdorf, nebſt dem Goldberg, Pernsdorff, Buchbach.** Acceſſerunt *Gölitz, Loquitz, Schaderthal*, prædium *Ober Golitz*, vna cum ſyluis quibusdam, quæ Iohannes a Gräfendorf Conrado Pappenheimio cum omni iurisdictione a. 1414. vendidit.**

* Plenius hæc demonſtrantur in documento antiquo, quod ſub titulo: *Kundſchafft Graf Otten von Orlamunde in* Archiuo Græfenthalenſi adhuc adſeruatur. In hoc ſcripto omnia, quæ ſpectabant olim ad dictam dynaſtiam, cum iurisdictione & iuribus deſignantur, idemque atteſtato Friderici a Schönbergk confirmatur. Datum: *nach Gottes Geburt, Viertzehen hundert Iar, darnach in den Vier und funffzigiſten Iaren, Sonnabendt nach Sent Lucaſtage, des hailigen Evangeliſten.* Eadem confirmantur in alio ſcripto Conrad Ratzenbergers zu Zopten geſeſſen, Eberhard von Buch zu Schwartzburg, von hoheneg, Hans von Buch zu Zopten. Datum: *gegeben nach Gottes geburdt Tauſend Vierhundert und darnach in Vier und funziegſten Iare am Dienſtag nach Kiliani des heiligen Marterers.* In Diplomate Ottonis Orlamündani de a. 1460. Dynaſtiæ Græfenthalenſi vindicantur *die Dörffer mit namen VVudeswitz, Loſitz, VVitzendorf, und auch etliche Guter zu Arnesgereut dy den Vorger Zuthen der Pothen geweſt ſind.* In alio Sigismundi de a. 1446. ad dynaſtiam Græfenthalenſem refertur *die Müle zu Zell an der Zopten.*

** Extant adhuc litteræ *nach Chriſti Geburth* 1414. *Iahr am tage Simonis & Iudæ der heiligen Zwölff Bothen.*

§. V.

Hodierna vero præfectura ſub ſe habet vrbem *Græfenthal*, ita tamen, vt Iurisdictio inferior cum certa reſtrictione Senatui competat, cum adiacente officina metallica, *der Seigerhütte, Buchbach* & *Mehrnach*, Coburgum verſus, quorum incolæ parochiani ſunt Gräfenthalenſes. Ad auſtrum *Lichtenhayn*, filia parochiæ

chiæ Gros-Neundorf, *Spechtsbrunn*, *Husenthal*, cum prædio suo. Officina ferraria, vulgo *das Hammerwerck Fridrichthal*, cuius possessor inferiori gaudet iurisdictione. *Ernstthal* officina vitriaria haut ita pridem condita. Haud procul abest vetus officina vitriaria *Piesau*, cui adiacet *die wilde Piesau, ein blau Farben und Potaschen Werck*. Inde *Sommersdorf*, *Creunitz*, *Gebersdorf*, *Lipelsdorf* versus Occidentem. Versus septentrionem sita sunt *Taubenbach*, *Schmiedefeld*, *Reichmannsdorf*, *prædium S. Brandin* ad Schwartzburgicorum fines, *mola im Schlagethal*, *Volckmannsdorf* & prædium *Wickersdorf*, qui bini pagi iurisdictionem bassam adgnoscunt Dominorum de Könitz zu Eiba. Inde *Gros Neundorf*, cum incultis, *der Wustung Iabelsdorf*, *Gæsselsdorf*, *das Hammerwerck Kœnigsthal*, *Pippelsdorf*, *Limpach*, *Marck Gœlitz*. Quæ olim ad dynastiam Gräfenthalensem spectarunt *Klein Neundorf*, prædium *Ober Gœlitz*, *Zopten* & *Oberloquitz* spectant hodie ad præfecturam Zellensen; *Kleingeschwend* & *hohen Eich* ad præfecturam Salfeldensem. Schwartzburgicorum est *Vnterloquitz*.

§. VI.

A comitibus, qui apud Germanos dicebantur *Graven*, & *Thal*, valle, hæc vrbs nomen habere videtur. Et quidem plura sunt oppida, quæ a *Greven* nomen habent. Sic prope Hagenoviam reperitur Monasterium *Greffenthal* siue Marienthal, cuius mentionem facit Bernhardus Hertzogius. * In Geldria Ottonis III Comitis Coniux a. 1250. monasterium Grauenthal condidit. ** Aliæ sunt vrbes, vici & monasteria, quæ de eodem nomine participant. Nolumus huc referre Ptolemæi *Grauionarium*, quod vulgo Bamberga dicitur; vel *Grauiacum*, hodie Gurck. *** potius ad alia, quæ vel superiori vel nostra adhuc nota sunt ætate, vrbium nomina veniamus. In Historia Henrici III. Ducis Brunsuicensis, qui anno 1135. in episcopum Hildesheimensem fuit electus, memoratur *Greuelslebium*, comita-

tus Daſſelenſis vicus.**** Oppidum *Greuenalueshagen* Schauenburgenſis ditionis, ex ſepultura Erici Schauenburgici, qui anno 1348. fuit extinctus, eſt notum. ***** Holſatiæ oppidum eſt *Grauenſtein.* ****** In Comitatu Marcano eſt *Greuenroda*, vbi Adolphus Comes anno 1196. ſepultus. ******* In Palatinatu ſuperiori reperitur *Grauenwerds.* ******** In Bauaria inferiori *Grauenau* ſub præfectura Straubingenſi. ********* In ſuperiori Bauaria *Græfing* ſub præfectura Monachienſi. ********** Noribergenſis ditionis eſt *Græfenberg*, vicus, † Iuliacenſis ditionis *Greuenbroick* †† Mindenſis territorii olim *Greuenberg* fuit oppidum, ſed ab Henrico, Oſnabrugenſi Epiſcopo anno 1441. occupatum. ††† Prope Wittebergam Saxoniæ oppidum eſt *Græfenhænigen.* †††† In Thuringia prope Arnſtadtum pagus eſt *Græfenau.* ††††† In Alſatia reperitur *Græfenſtaden.* †††††† Sic & Meranicæ olim ditionis erat *Græfendobrach* ab Orlamundanis Comitibus Noribergæ Burggrauiis ceſſum. ††††††† Extra Germaniam eſt *Grauenhaag* & *Graueſanda* Hollandiæ, *Grave* Brabantiæ, *Gravelinga* olim *Gravenenga* †††††††† Flandriæ, Ducatus Luxenburgenſis vrbs eſt *Græfenmachern.*

* *In Chronico Alſatiæ lib. III. p. 49. & in deſcriptione Alſatiæ p. 206. Greffenthal oder Marienthal iſt ein Kloſter und Priorat nahe bey Hagenau, im Elſas gelegen.* Licet huius monaſterii nec Bruſchius nec Bucelinus faciant mentionem.

** Io. Textor *Naſſauiſcher Chronic c. VI. p. 63.* Idem Comitis Vallem vocat Pontanus *Hiſt. Gelr. lib. VI. ad a.* 1249.

*** De quo Cluuerus *Vindelicia & Norico p.* 31.

**** Paullini Chron. Hillesheimenſi p. 100. de hoc Henrico: *Greuelslebium (poſtea Greuelsborn dictum) & Giluerdeshuſium, amplos pagos, in Comitatu Daſſelenſi ad ſyluam Sollingenſem, cum Eccleſia ſuæ obeſſent, deſtruxit.* Idem dicit Ioh. Letzner *Daſſel und Einbeckiſchen Chronic p. II. Cap. V.*

***** Paullini *c. l.* Eiusdem oppidi facit mentionem Hamelmannus *lib. I. Chronici Mindenſis p.* 656. & in Chronico Mindenſi *apud Meibomium Tomo I. p.* 564. & in Chronico Comitum Schauenburgenſium *p.* 220.

****** Docti huius vrbis recenſentur *in Hamburger Hiſtoriſchen* Remarquen. *Tom. I. p.* 213.

******* *Chron.* Comitum de Marca apud Meibomium Tom. I. p. 394. *eodem anno*

anno in vigilia S. Michaelis Adolfus Comes de Monte moritur, & in Greuenrode sepelitur.

******** De hoc Ertl *im Bayerischen Atlas p.* 72. & Zeillerus *in Itinerario Germanico p.* 665.

********* Ertl. *c. l.*

********** Ertl. *c. l.*

† Pastorius *in Franconia rediuiua p.* 401. & Zeillerus *in Add. Itin. Germ.* *p.* 59. *Rensch in Brandenburg Cedernhayn p.* 400.

†† Huius mentionem facit Zeillerus *Itinerario Germaniæ p.* 665. & *in Additionibus p.* 279. Erichius *Iulich. Chronic. lib. VI. c. XVIII.*

††† Erdmanni Chron. Episc. Osnabrüg. apud Meibomium *p. II. p.* 255. *ex hoc idem Dominus Henricus nouus Administrator Ecclesiæ Osnabrugensis assistentiam fecit Dominus Præpositis Capitulo & ciuitati Osnabrugensi, ac primo Greuenberge circumuallato, & per Hermannum de Busco tradito, vbi suos armigeros pro defensione Ecclesiæ & ciuitatis locauit contra Dominum Albertum Episcopum Mindensem.*

†††† Zeillerus *in addit. Itiner. Germanic. p.* 381. Mullerus *Ann. Sax. ad annum* 1411.

††††† Mullerus *Ann. Sax. ad annum* 1561.

†††††† De quo Zeillerus *in addit Itinerarii p.* 115. Hertzog *Chron. Alsatiæ lib. III. p.* 25.

††††††† Rensch *im Brandenburgischen Cedernhayn p.* 157.

†††††††† Hadrianus Valesius *not. Galliarum voce Grauenenga.*

§. VII.

Cur vero Græfenthal dicatur, nunc erit inquirendum. Antiqua vox est Grafe, siue Græue, quæ iudicem notat atque præfectum, prout viri docti dudum demonstrarunt. * Hinc etiam Angli Comitatum vocabant *Greue.* Sic in legibus Eduardi Regis: ** *Greue quoque nomen est potestatis, Latinorum lingua nihil expressius sonat, quam præfectura. quoniam hoc vocabulum adeo multipliciter distenditur, quod de Scyra, de Wapentachiis, de hundredis, de burgis, etiam de villis Greue vocetur. In quo idem sonare videtur, & significare quod dominus.* Et paullo post: *Greue qui super alias præfecturas habent, ita apud Anglos antiquitus vocabantur alder-*

aldermann, quasi seniores, non propter senectutem cum quidem adolescentes essent, sed propter sapientiam.

* Spelmannus, Lindenbrogius, du Fresne *Voce Grafio.*

** *n. XXXV.* Continetur inter priscas Anglorum Leges à Guilielmo Lambardo Cantabrigiæ 1644. f. editas.

§. VIII.

Communis est enim istius loci traditio inter eruditos, quod, postquam Sorabi ex tractu isto fuerint fugati, Iudicium quod antea in pago huius Dynastiæ, *Hoben Eich* dicto, fuerit, huc fuisse translatum, ex quo loco nomen. Dum enim, præfecti istius iudicii atque Comites, sedem hic loci fixerint, vrbi nomen dedisse videntur. Quare etiam Pappenheimii olim de banno, siue criminali iudicio Græfenthalensi ab Imp. speciatim fuerunt inuestiti, quod reliquias antiqui istius iudicii Sorabici esse arbitramur, quod Græfenthalium sine dubio fuit translatum, & per Comites, ibidem sedem figentes exercitum.

§. IX.

Quod vero vrbis nomen in *Thal* desinat, a situ est definiendum. Rara inter Germaniæ vrbes a valle est denominatio. Reperitur tamen in Palatinatu *Franckenthal*, in sylua Hercynia *Clausthal*, in Bohemia & Marchia media *Ioachimsthal*, in Ducatu Guelferbytano arx *Saltzthal*, in Holsatia arx *Trauenthal*. Ad Danubium reperitur Abbatia *Marchthal*, in Lusatia partheno *Marienthal*. Nomen igitur hæc nostra vrbs commune cum ante dictis habet. Verum, dum omnes istæ, quas nominamus, vrbes, arces, vel communitates originem suam temporibus haut adeo antiquis debeant, cum antiquissimæ Germanorum vrbes in *born, feld, wald, hayn, berg, dorf, hausfen, stetten, heim, leve, ingen, bruck, fort, burg, stein*, terminentur, vix est, vt huic vrbi insignem tribuamus

buamus antiquitatem. Ex Medio tamen æuo eandem suam trahere originem, & nomen a Graue, ductum, & quæ sequuntur historiæ nos docebunt.

* DNI Præsidis Syntagma Historiæ Germanicæ *differt. III. §. V.*

§. X.

Arx autem Grauenthalensis in monte, ad lucum, qui & hodie der Hayn vocatur, fuit condita. Dicitur ista *Wespenstein*, olim *Websenstein*, ob copiam vesparum, quæ ibidem reperiuntur. De primo eiusdem Conditore haut constat, patet tamen ex diversis æris, portis inscriptis, diuersos fuisse conditores. Post mortem Sebastiani Mareschalli de Pappenheim, filii ipsius Achatius & Vitus sorte arcem diuidebant, vt iste arcem iamdum conditam, hic alteram eiusdem partem nondum absolutam, adiecta summa mille quadringentorum florenorum nancisceretur. Hæc arx a. 1686. flammis plurimum perpessa, restituta tamen a. 1708. sedem præbet Præfecto Ducali, quod munus hodie cum laude gerit Consultissimus vir, Dauid Simon, Consiliarius Saxonicus, patronus & studiorum promotor omni obseruantia colendus.

§. XI.

Primi huius regionis domini fuisse videntur Slaui. Movet me, quod Rerum Germanicarum Scriptores, Salfeldiam, quæ finitima est, in regione Slauorum sitam esse dicant.* Dum autem gens late patens esset, iidemque in plures populos diuisi,** Sorabi potissimum has sedes tenuerunt, qui etiam Sworbi *** dicti. His enim inter Albim & Salam sedes adsignant scriptores, Thuringis sæpe infestis.**** Licet autem latius adhuc patuerint fines Soraborum per Misniam in Lusatiam vsque,***** has tamen æque sedes trans Salam ipsos quoque tenuisse testantur adhuc rudera arcis Soraborum, Salfeldiæ, *die Sorbenburg* dictæ, vulgo *der hohe Schwarm.****** Te-

ſtantur de eo tot pagi Sorabicæ terminationis in illa regione. ****** Immo, locus adhuc inter Salfeldiam & Grafenthaliam monſtratur, quem *den Keſſel* vocant, *bey der hohen Eiche*, ad quem iudicia ſua exercuiſſe dicuntur Sorabi. †

* Lamb. Schafnab. ad a. 1075. p. 230. de Annone Colonienſi; *tres etiam congregationes monachorum diuerſis in locis ex ſuo conſtruxit, Vnam in monte qui a praterfluente fluuio cognominatur Sigeberg, aliam in regione Sclauorum, in loco qui dicitur Salefeld, tertiam in regione VVeſtphaal, in loco qui dicitur Graffcaf.* Idem dicit Marianus Scotus *ad a.* 1277. Idem teſtatur Syluester Lieben *in Salfeldographia*, quæ adhuc in MSto latet *cap. IV.* qui Regem etiam Sorahorum Dragouitum vocat, quem ſequitur Sehlegelius *de nummis Salfeldenſibus*, aſt, hoc ſine fide.

** Diuerſa horum nomina recenſet Helmoldus *lib. I. c. I.* & P. Langius Chron. Citic. *p.* 792.

*** Sic enim auctor de fundatione Cœnobii Bigaugienſis p. 256. de Wicberto; *hic inualuerat prædiis & beneficiis in prouincia noſtra qua Sworbia dicitur:* De eodem Langius Chr. Citic. p. 784. *is in prouincia Sworbia, dominabatur.* H. Contr. in Chron. ad a. 934. *Henricus Hungaros in Suirbia interfecit.*

**** Ann. Eginhardi ad a. 782. *interea Regi allatum eſt, quod Sorabi Sclaui, qui campos inter Albim & Salam interiacentes colunt in fines Turingorum ac Saxonum, qui eis erant contermini, prædandi cauſſa fuiſſent ingreſſi, & direptionibus atque incendiis quædam loca Vaſtaſſent.* Albertus Stad. ad a. 782. *intellexit etiam Rex, quod Soraui Slaui, qui habitant inter Salam & Aluiam fines Turingorum & Saxonum prædarentur.* Poëta Saxo *de Geſtis Caroli M. lib. II. ad a.* 782. Hos autem Carolum deuiciſſe teſtantur Annales Tiliani & Loiſeliani ad a. 806. *& inde poſt non multos dies Aquisgrani Veniens, Carolum filium ſuum in terram Sclauorum qui dicuntur Sorabi, qui ſedent ſuper Albim fluuium, cum exercitu miſit. In qua expeditione Miliduoch Sclauorum Dux interfectus eſt, duoque caſtella ab exercitu ædificata; Vnum ſuper ripam fluminis Sala; alterum iuxta fluuium Albim.* Hæc equidem de Hala & Magdeburgo interpretantur. Sagittarius *antiquit. Duc. Saxonici lib. III. c. XX. §. V* Schwartzburgam arcem contra Sorabos extructam, eandemque Duci Sorabici limitis, qualis in Annalibus Fuldenſibus ad a. 849. Trachulphus nominatur, commiſſam fuiſſe autumat. Verum, ſit ita, neque tamen illud eſt a Carolo M. extructum, quod ad ripam Salæ dicitur, Schwartzburgum vero ad Schwartzam. Si coniectari licet, caſtrum Saleck erit, quod ſupra

Salæ

Salæ ripam inter Portam & Camburgum est situm, de quo Schlegelius antiquum Diploma Caroli M. adducit: *datum ex castro nostro Salecensi.*

***** Bangertus in notis ad Helmoldum p. 11. sub Sorabis saltim intelligit Seruestanos, Lusatos, Misnenses, Lipsienses. Mon. Pegauiensis *Vita VViperti p.* 21. Misniam olim Sorbiam dictam fuisse ait: Auentinus lib. IV. c. III. n. 17. *interea Venedorum gens Sorabes dicti, qui inter Albim & Salam considebant, nunc Moësi nominantur.* Ast, Sorabos non ad Salam saltim inferiorem, quæ in Misniam tendit, sedes habuisse, sed etiam ad Salam Superiorem Thuringiæ testantur reliquiæ pagorum in nostra vicinia, *Cunitz, Geschwitz, Closwitz, Steudtnitz, Osmaritz, Beuthnitz, Brisnitz.*

****** Sagittarius *c. l. §. VI.* Syluester Lieben in *Salfeldographia,* integro capite XXIV. de antiquo castello Sorabico f. Slauico agit. Schlegelius de antiquis nummis Salfeldensibus sub initium.

******* Schlegelius c. l. & ex eo Melissantes multa oppida cis & trans Salam multos pagos indicant in tractu Salfeldensi sitos, qui in itz terminantur. In dynastia etiam Græfenthalensi reperiuntur Loquitz, Gölitz.

† De hoc Syluester Lieben c. l. *Vnde nemo mirari debet, quod nostram ciuitatem* (Salfeldiam) *Vel eius partem Slauini Sorabi olim occuparint, & castellum ibi posuerint, ac peculiarem quendam locum, in quo de fontibus Vltima sumsere supplicia, in syluoso suo tractu, qui hodie Vulgo dicitur der Kessel, tenuerint, qui hodie etiamnum dicitur das VVendische Gericht,* de quo tamen insequenti dissertatione pluribus erit dicendum.

§. XII.

Postquam autem Sorabi per Carolum M. atque Henricum Aucupem deuicti, vix est, vt de statu regionis quidpiam definiamus. Primi igitur vrbis atque Dynastiæ Græfenthalensis Domini Meraniæ Duces, erunt memorandi. Sane, quoties de Meraniæ Ducibus cogito, mirari satis nequeo, qui factum, quod Duces isti, & generis antiquitate, tantisque possessionibus nobiles, in Historicorum monumentis rarius reperiantur, quod partim sterilitati scriptorum medii temporis tribuimus; partim etiam quod modo Comites ad Athesin vel de Andechs vel aliter dicerentur:* partim, quod nomen hoc Ducum Meraniæ a sede sic dictorum, sub vltima Friderici I. tempora demum ortum, sub Friderico II. iterum desierit.

 * Sic

* Sic Tageno in deſcriptione expeditionis Aſiaticæ apud Freherum p. 407. *Bertoldus Dux Meraniæ ex Bauaria de caſtro Andechs natus.* Vid. etiam Fugger *im Spiegel der Ehren des Hauſes Oeſterreich lib. III. c. VIII. p.* 340.

** *Annal. Carinthiæ lib. I. cap. II. p.* 14.

*** Lambecius *in Commentariis de Biblioth. Caſarea Vindobonenſi lib. II. c. VI. p.* 509. qui etiam ipſos Carinthiæ Duces adpellatos teſtatur.

**** Sic Henninges *parte priori ſecundi & tertii Regni in IV. Monachia p.* 52. Lambecius *c. l.* Fugger *Spiegel der Ehren lib. III. Cap. VIII. pag.* 340. Auentinus Ann. Boior. lib. VII. c. VI. n. 23. *ab his ſunt Otto Vltimus, Agnes Vxor Friderici Auſtriaci, illeque anno ab humana gente liberata* 1248. *absque liberis periit Plaſſenburgii, arx eſt Boiethorum ſubdita Norinbergenſi præfecto. Quidam toxico ſublatum, alii ferro ab Hagero, cuius Vxorem conſtuprarit, necatum tradunt: Verumne id ſit, an ad leniendum eam crudelis cædis inuidiam confictum, tum quoque cum magis liquere poſſet, incertum fuit.* Adlzreiterus vero Ann. Boiicis p. I. lib. XXIV. n. 9. *idem Otho Meranius ab Hagero Viro nobili confoſſus, Vel, Vt alii Volunt, Veneno ſublatus Plaſſenburgi, opes ingentes deſtituit; e quibus Boiariæ Venit in manum, quicquid ille in Vindelicis cis alpes tenuerat: Meinbardus Vero Goritius intra alpes Vtramque Oeni Vallem, Atheſinos, & Tirolios occupauit: qua in Voitland a Vltra Danubium ditiones poſſiderat, Herbipolenſis & Bambergenſis Epiſcopi, cum Vicinis Toparchiis partiti ſunt: alia Veneti, alia Francones ſui iuris fecerunt.*

§. XIII.

Licet autem maſcula prole deſtitutus fuerit vltimus Dux, diſputandum tamen, an non etiam prolem fœmineam reliquerit. Megiſerus equidem filiam ipſi tribuit primum Friderico Auſtriaco, poſt, Vlrico, Carinthiæ Duci nuptam. * Verum, confundit Megiſerus Ottonem ſeniorem, ſiue Magnum, patrem, qui circa annum 1230. vixit, & Ottonem iuniorem, filium, vltimum ducem. Agnes iſta primum Friderico Bellicoſo Auſtriaco nupta, & poſtquam ab hoc ob ſterilitatem repudiata, Vlrico, Carinthiæ Duci, filia fuit Ottonis ſenioris, ** iunioris ſoror. Henningeſius Ottoni iuniori vltimo Duci tribuit duos liberos, Ottonem, qui infans

obierit,

obierit, & Alysam primum Hugoni, Ioannis Cabillonensis Comitis filio desponsatam, atque ex iterato matrimonio, Philippo Sabaudiæ Comiti. Verum etiam hæc fuit Ottonis Senioris filia, prout Samuel Guichenonius *** ex actis publicis satis clare demonstrauit.

* *Ann. Carinthia lib. I. Cap. II.* p. 14. vbi de Ducibus Meraniæ hoc modo loquitur. *Der erste Hertzog zu Meran hat geheisen Gotfridus Von Iahr 956. Von denen Hungarn erschlagen, und ist herkommen, wie etliche wollen Von Verlino des Grosen Carls Cantzlern, der letzte aber daraus das Hertzogthumb Meran abgestorben (der auch Viele Güter im Nordgau und Franckreich gehabt) mit Nahmen Otho, hat gelebt im Iahr Christi* 1230, *und gab seine Tochter zum Gemahl Hertzog Fridrichen zu Oesterreich und Ertzhertzog Vlrichen in Karndten. Die mittlern haben geheisen Berchtoldi, Ottones, Meinhardt und Heinrich, aus welchem Geschlecht Otho Bischoff zu Bamberg Arnolstein das Kloster in Karndten und Gleinick in O. Ost gestifftet hat, Erkenbrecht auch Bischoff dieses Stammes zu Bamberg, wird in Schotten Closter zu VVien begraben anno* 1224. Sed male bona ipsi in Gallia tribuit Megiserus, dicendum potius in Franconia.

** Chron. Australe ad a. 1230. *Idem Dux Fridericus duxit Vxorem filiam Ducis Meraniæ post repudiationem sororis reginæ Vngariæ.* Quod vero eandem postea repudiauerit, docet Chronicon Australe ad a. 1244. dicens: *Fridericus Dux Austriæ & Stiriæ Vxorem suam filiam Ducis de Meran repudiauit, coram Eberhardo Archiepiscopo Saltzburgensi & Episcopo Rudgero Patauiensi & coram aliis multis literatis & illiteratis.* Cuspinianus Austria p. 42. *habuit princeps Fridericus duas coniuges, Gertrudem scilicet Ducis de Braunschweich filiam, quam tertio anno post splendidissimas quas habuit nuptias, repudiauit tanquam sterilem: quæ apud S. crucem iacet, mortua ex mærore. Altera eius Vxor fuit Agnes, Othonis senioris Ducis Meraniæ filia, e qua etiam nullam prolem quum susciperet, & incestuosæ a plerisque iudicarentur nuptiæ, quemadmodum superius retulimus in præsentia Eberhardi Salisburgensis & Rudigeri Bathauensis episcoporum, hanc quoque quarto post nuptias anno repudiauit, ex neutra liberos suscipiens.*

*** Histoire Genealogique de Savoye p. I. Cap. XIII p. 296. dicens: *Vignier Gölut, du Chesne & Pingon se sont trompés en disant que cette Princesse êtoit fille d'Otthon III. Comte de Bourgogne, duc de Meranie, parce quelle estoit fille d'Otthon II. & Soeur d'Otthon III. Son Peré Otthe ou Otthon II. la maria fort ieune avec Huges de Châlon Fils di Iean Com-*

te de Bourgogne, Sire de Salins l' an 1230. *& son Frere Otthon III. faisant son Testament le is de Iuin* 1248. *nomme pour Executeurs de sa volonté cette Alysa Soeur & son Mary le Comte Hugues; elle mesme nomme Othon III. son Frere par le Traitté de la Fondation du Chapitre de Dole du mois de Mars de l' an* 1277. *Elle fut Contesse Palatine de Bourgogne dés l' an* 1248 *apres le decés de son Frere Otthon III. & en donna le Titrê à Hugues son Mary.* Guichenonius autem hunc iuniorem Ottonem III. vocat, quem alii secundum, ea ex ratione, quod Otto senior Ottonis I. Burgundiæ Palatini filiam duxerit in matrimonium, vt iste apud Burgundos ideo vocaretur secundus, Otto iunior tertius. Labitur itaque Elias Reusuerus, dum in Stemmate Wittichindeo *p.* 128. dicit: *Vxor* (Philippi) *Aloysia, filia vnica Othonis vltimi Ducis Meraniæ.*

§. XIV.

Dum autem Agnes ista atque Alysa, siue Adelheid, sorores saltem fuerint Ottonis iunioris, vltimo defuncti, videndum annon alias reliquerit filias. Scriptores Genealogici equidem nullas alias ipsi tribuunt. Verum, si ex historiarum circumstantiis iudicamus, binæ ipsi tribui debent, Beatrix, Ottoni Comiti Orlamundano, atque Elisabetha Friderico III. Noribergensium Burggrauio nupta. Mortuus igitur anno 1248. sine prole mascula, Otto II, Palatinatum Burgundiæ relinquebat, terras Tyrolenses atque Franconicas. Illum, prout diximus, sibi vindicabat Alisa Sabaudica. Terras Tyrolenses occupabat Albertus Tyrolensis Comes, ex eadem hac stirpe prognatus, qui & adgnationis, & vxorio iure, dum Iotham, Bertholdi IV. Meraniæ Ducis filiam in matrimonio habuerat, succedebat, qui tamen cum titulo Ducis Meraniæ non vteretur, hic plane desiit.* Franconicas vero terras partim Otto Orlamundanus, partim etiam Fridericus Burggrauius vxoris iure sibi vindicarunt.** Licet etiam ab Episcopis atque vicinis variæ possessiones fuerint direptæ.*** Inter hasce igitur Dynastia Græfenthalensis cessit Orlamundanis. Ob hæc incrementa Otto iste ab Historicis præpotens Comes vocatur.****

*Do-

* Dominicus Custos in Historia Principum Tirolensium sub Alberto. Fugger Spiegel des Hauses Oesterreich lib III. c. VIII. p. 340. *Gewis ist, das Albertus der letzte von den alten Grafen zu Tirol, dieses Ottonis Vetter und Graff Heinrichs Sohn, Catharina eine Hertzogin von Meran und Grafin von Andechs, zur Gemahlin gehabt, auch, nach Hertzog Ottens abgang, dessen Land geerbet, gleichwohl (vielleicht, weil er das Land nit gantz behaupten können, und Bayern, auch Venedig ein Theil davon an sich gezogen) diesen Hertzogs Titul nicht geführet, sondern sich allein Graven zu Tyrol, auch des H. Röm. Reichs Fürsten und Heergraven geschrieben.*

** Rensch im Brandenburgischen Cedern Hayn p. 293. *Als anno 1248. Otto der letzte Graff von Andechs Hertzog in Dalmatia, zu Meran, auff dem Voigtland, Marggraff zu Oesterreich und Pfaltzgraff zu Burgund iammerlich erstochen worden, und keinen mannlichen Erben hinterlassen, haben zwar die benachbahrte Fürsten, unter denen absonderlich, VVürtzburg und Bamberg sich nicht gesaumet, von der Verlassenschafft sich eines und andern angemasset: Doch hat Graff Otto von Orlamund, welcher die altere Meranische Printzessin zur Ehe gehabt, in diesen Landen das meiste an sich gebracht. Dem Burggraff ist Bareut, Carlsburg und andre wenige Oerter, dabey aber in Burgund etliche Herrschafften zugefallen.* Fugger c. l.

*** Henninges c. l. *cumque sine prole mascula moreretur, opes & ditiones huius Principis velut præda & manubiæ a vicinis principibus ac Episcopis direpta & distracta sunt.*

**** Fridericus Lucas *Vbralten Graffen-Saal p. 372.*

§. XV.

Postquam vero Orlamundani Comites ob insolentiam Hermanni Comitis Vinariensis,* tanquam feloniæ rei a. 1341. terris suis essent priuati, sine dubio hæc ipsa dynastia Misniæ Marchionibus obuenit. Scilicet, omnes terras, omniaque bona sua Misniæ Marchionibus obtulerunt Orlamündani, qui tamen earundem dominium vtile a Friderico, ad dies vitæ vsque obtinuerunt,** excepto Comitatu Orlamündano, quem Henricus, senior Comes de Orlamünda cum consensu filii, sui Friderici a. 1344. pleno iure cessit. ***

* Hanc auctor Historiæ Landgrauiorum Thuringiæ c. XCVI. hoc modo describit:

scribit: *Anno Domini MCCCXLII, Comes Hermannus de VVymar, & comes Giontherus de Schwartzberg erexerunt se contra marchionem. Et accidit, quod semel idem comes de VVymar esset in Erfordia in hospitio suo, & marchio pertransiens ciuitatem: Comes post eum clamauit: Audi Friderice quo tendis tu? Marchio vero respiciens dixit: vere ego faciam hoc, quod tu vocabis me dominum tuum, & assumsit sibi in adiutorium Erffordenses.*

** Hist. Landgr. Thur. c. XCVI. *tandem per Comites terrae compositio talis fuit facta, quod comes de VVymar & frater suus dederunt omnia bona sua marchioni, ciuitates, castra, ad manus suas. Quo facto marchio reddidit eis omnia ad tempora vitae solummodo possidenda: Orlamunde vero retinuit.* Sic etiam in litteris inuestiturae Budissii 2. Cal. Martii 1350. a Carolo IV. Friderico, Balthasari & Wilhelmo, Thuringiae Landgrauiis concesso, in Merckwurdigkeiten der Landgraffschafft Thüringen c. XXII. p. 262. *Volebant enim sub vmbra alarum Magnificorum Principum Landgraviorum ob spem specialis protectionis se ac sua bona spontanea ac libera voluntate gubernationi & ordinationi Principum praedictorum subicere, sperantes, conditionem suam hac in parte non deteriorem sed meliorem fore.*

*** Extant litterae cessionis, datae *dienstag nach Georgi* 1344. Eodem die petiit Henricus ab Imp. Ludouico Bauaro confirmationem.

§. XVI.

Inter Comites autem Orlamundanos, Sigismundus, qui etiam ibidem sedem habuit, varia adhuc anno 1412. Graefenthalensi vrbi concessit privilegia, atque inter haec ius Scultesium eligendi.* Hoc tamen adhuc viuo, ** rediit ad Saxoniae Duces, Dominos directos, licet etiam post ista tempora, superfuerint Comites Orlamündani.***

* Extat de eo diploma *gegeben nach Christi geburth* 1412. *Iahr am des heiligen Crucistag den Mann nennet exaltatio in dem Herbst.*

** Extant litterae Sigismundi *nach Gotes Geburth vierzenhundert und in dem sechs und virezigsten Iare auff dem Sunabend nechst nach Sants Dorotheen, Tag der Heyligen Iunckfrawen über das Halsgericht zu Kaulstorff*, in quibus:

quibus: *auch haben wir dasselbs Inne gehabt so lang wir denn Grefenthal Inne gehabt haben, und haben auch selbs persohnlich do halsgericht gesessen.*

*** Communis est opinio, cum isto Sigismundo desiisse anno 1447. Comites Orlamundanos, prout etiam contendit Lucas im Graffensaal *p.*378. Ast, contrarium patet ex Ottonis Comitis Orlamündani diplomate, quod Conrado Pappenheimio a. 1460. dedit, ipsi notitiam præbens de iudicio criminali in quibusdam pagis.

§. XVII.

Fridericus vero & Wilhelmus Saxoniæ Duces de vrbe & arce Graffenthal cum pertinentibus anno 1438. Conradum Pappenheimium inuestiuerunt,* ex quo specialis inter Pappenheimios linea Græfenthalensis.** Inter hos Christophorus Vlricus anno 1596. stipendium fundauit quinquaginta florenorum annuorum, inter binos diuidendorum, cuius munificentiam pie adhuc veneror.

* Extant literæ inuestituræ de dato Leisnig anno 1438 Sonntag nach Cantate in quibus hæc verba: *Ia allermassen, als die edlen Graffen von Orlamunda die bis an uns, und wir Fürder bishero gehabt und herbracht haben aus angebohrner Güte und von besondern Gnaden.*

** De hac linea Wigul. Hund. *im Bayerischen Stammbuch p. II. p.* 167. in sequentibus etiam specialim de eadem erit dicendum.

§. XVIII.

Mansit in hac familia vsque ad annum 1621. quo pro centum aureorum millibus & vltra, a Philippo Altenburgensi Duce emta, Altenburgensi Ducatui accessit,* & cum eodem ad Serenissimam domum Gothanam fuit deuoluta. Post mor-

tem vero Ernesti Pii, per pactum fraternum d. IV. Februarii 1680. Serenissimo Duci Io. Ernesto, Salfeldiæ sedem habenti obuenit, idemque speciali pacto d. XVIII. Octobris 1695. cum Serenissimo Duce Gothano fuit confirmatum, quem adhuc dominum suum veneratur Græfenthalia.

* Mullerus ad a. 1621. *in diesem Iahre kauffet Hertzog Iohann Philipp zu Sachsen Altenburg vor sich und seine Brüdere, von dem Reichs-Erb Marschalln, Graff Maximilianen zu Pappenheim, die sinder dem Iahre* 1432. *bey denselben Geschlechte gewesene Herrschafft Græfenthal üm und vor* 102089. *Gülden und* 700. *Goldgulden zum Reükauff*. Licet male hic ponatur annus 1432.

